

DISSERTATIO ACADEMICA,

*Cogitationes Nonnullas*

DE

*USUCAPIONE*

*Exhibens.*

---

Quam

*Conf. Ampliss. Facult. Phileſ. Lycei ad Auram,*

*Publicæ Censuræ modeſte offerunt*

*FREDERICUS GRÖNSTRAND,*

Phil. Mag.

Et

*ANDREAS JOHANNES LILLÉ,*

Wiburgenfes.

In Auditorio Minori die 8 Dec. 1798.


Horis ante meridiem solitis.

---

ABOÆ,

Typis FRENCKELLIANIS,







§. 1.

**D**ominium acquirendi modos generaliter, a Morum Doctoribus, in Originarios & Derivativos dispesci, quis nescit? Vi prioris generis, præter modum, res negativæ subjectas communioni, sibi vindicandi, jus quoque, in res antea quidem communitati nominatae jam exemptas, at denuo tacita derelictione nullius factas, *Usucapione* comparatur (a). Quo nomine, re secundum

A

Legem

---

(a) *Usucapio* audit, quod res *usu ac possessione nostra* evadit. PUFENDORF de *Jure Nat. & Gentium* L. IV. C. XII. §. I. Idiomate vernaculo: *håfd*, dicitur *usucapio*, ab *hafva*, *habere*, *possidere*. *Præscriptionis* vocabulo alii hanc eandem ideam exprimere voluerunt; alii autem aliam huic voci tribuerunt notionem. In se quidem vocabula *Usucpcionis* & *Præscriptionis* sunt correlata, quod ex verbis seqq. D:ni NÖRREGAARD in Libro suo: "Natur-Rättens första grunder" §. 357 legendis, perspicere licet: "Man gör i allmänhet den stilnad emellan håfd och præscription, at håfd brukas om den som förvarfwar, och præscription om den som förlorar. Således säges den ena människjans rättighet vara præscriberad genom den andras håfd," Cfr, etjam PUFENDORF l. c.

Legem Nat. (b) spectata, eum dominium acquirendi  
modum

---

qui ita: "Exceptio autem illa, qua prior dominus post usucaptionem completam a possidente repellitur, præscriptio proprie dicitur. Quamquam ista duo frequenter soleant confundi." Secundum mentem JUROZIUM Romanorum, usucapione rerum solummodo Italicarum, præscriptione autem Provincialium dominium acquirebatur. Vid. HEINECCII *Antiq. Rom.* Lib. II. T. t. 6. §. 7. Alii autem eam inter Usucaptionem & Prescriptionem faciunt distinctionem, ut illa ad res corporales, imo quod alii malunt, ad solas mobiles, hæc autem ad incorporales & jura referatur, ac usucatio de incorporalibus nunquam prædicetur. Vid. NEUMANNI, *Reale Princip. Jus*, Lib. IV. Tit. III de Præscriptione inter Principes usit. ejusque fundamento, §. CDLXXIII.

(b) Secundum leges enim Civiles longe aliter se habet, & quidem pro varia cujusque Civitatis natura, imido atque institutis. Vid NÖRREGAARD l. c. §. 360. ubi dicit: "Fördensföld har man icke heller i Stats-Rätten antagit häfd. sådan, som den är efter Natur-Rätten. I en Stat ser man icke så mycket, om safen är af sin ägare lämnad, man är mera mon, at genem häfd kunna skaffa borgarena wisshet och säkerhet i deras ägande rätt: at förtiga, det häfd, i wissa tilfället anses såsom et straff för försunliga Borgare" (quod de usucapione Jure Nat. præcripta, non dici potest). "Häfd är altså i borgeliga lagarne bygd på andra grunder, än i naturliga lagen. Hwad under då, om borgelig häfd knapt liknar naturlig?"

modum intelligimus, quo quis, bona fide (c), adeo longa  
quietaque alicujus rei usus est possessione, ut inde rem  
a Domino derelictam esse, colligi possit; ideoque ille, æ-  
que ac primus occupans, plenum perfectumque ejus  
dominium, sibi vindicat. Quod, quo jure, naturali  
ratione congruenter fieri posset, sententiam nostram,  
censuræ tuæ L. B. modestè subjicimus.

## §. 2.

Consensum tacitum (d) Jure Naturæ firmum ha-  
beri, adeo omnibus esse perspectum, ut a nemine ne-  
getur, vel in dubium vocetur, existimamus. Cui u-  
fucaptionem superstruentes, hujus etjam vim ea niti,  
concedamus, necesse est. Nihilo tamen minus, qui

A 2

ad

(c) Quam NÖRREGAARD l. c. §. 330 ita definit. "Bes-  
tilling på god tro (possessio bonæ fidei) når en posse-  
ssor tror at den sak, han besitter, är hans." Atque e  
contrario dicit: "Swekfull bestilling (possessio malæ  
fidei) når possessor vet, at den sak, han besitter, til-  
hörer en annan." Cfr. AUGUSTINUS, libro de fide &  
operibus. C. 7. "In jure prædiorum tantum quisque  
bonæ fidei (possessor) rectissime dicitur, quamdiu se  
alienum possidere ignorat. Cum vero scierit, nec ab  
aliена possessione recessit, tunc malæ fidei (possessor)  
perhibebitur, tunc injustus vocabitur."

(d) Stillatigande Samtycke är det, som tillkännagifwes  
genom iakttagande eller underlåtande af wiſa gärnin-  
gar. Id. §. 283.

ad Jus Civile, hanc doctrinam, totam quantam referant, haud defuere (e). Alii eorum, hominem felicitatis suæ studiosissimum, omniaque ad necessitatem delectationemque suam pertinentia, sollicite omnino acquirentem, res huic fini inservientes sponte abjicere negarunt, atque natura sua a tali consilio abhorrere, contenderunt. Ac temere quidem id quod suum est abjicere, neminem quidem sanum existimare debemus: multæ vero suadere nobis possunt rationes, ut non solum commoditatis, sed etiam utilitatis causa, (majus bonum quoddam ut obtineatur, sub conditione derelictionis facultatum nostrarum possessarum, nobis patens,) bona nostra derelinquantur. Alii ideo hac de re dubiū hæserunt, quod lex naturalis tempus ad Dominium alteri præscribendum non definit, sed usque

eo

(e) Ex. gr. JAQUES DE CASSAN, in libro: *Recherches des droits du Roi & de la couronne de France lib. I. c. 3.* AUBERY "Justes Pretentions du Roi sur l'Empire, lib. I. c. 3. PUTEANUS, in Dissertatione sua: *an Praescriptio inter liberos principes locum habeat* (inserta operi suo: *Touchant les Droits du Roy très Chretien*). In quorum numerum CUJACIUS etiam atque GLAFEX sunt referendi. Hunc quidem iis esse annumerandum ostendit liber suus; "Recht der vernunft," ubi tamen fatetur, in gravissimis, integra regna concorrentibus controversiis, ad præscriptionem provocatum fuisse. Frustra heic Reipublicæ Judaicæ & Spartanæ exempla quis objiciat.

eo rem differat, donec signis indubiis se consilio rem dereliquisse, ostenderit. Quam vero leve hoc sit argumētum, cuique apparet. Quam enim multæ res, foro Legis Naturalis eximendæ essent, si omnia non nisi indefinite dicta, ad eam haud pertinere, statnere-tur. Alii denique ut Dominus invitus sua amittat, æquitati omnino repugnare objecerunt (ac injustissima fane usucatio foret, si res ita se haberet). Cum autem usucaptionem, ut supra significavimus, tacito consensu superstruamus; invito domino quidquam per eam auferri, haudquaquam dici potest. Eo enim ipso, quo is factis signisque indubiis (f), consilium rem suam derelinquendi indicavit, eam nullius fecit, quæ itaque primo occupanti recte cedit. Ad quem itaque statim Dominium perfectum, jusque omnes alios repellendi, pertinet. Si igitur prior Dominus, consilium postea mutaret, sibi que rem revocare vellet; eum Possessorem injustitia afficere, damnumque illi inferre, æque ac si pactum violaret, apparet. Pa-cis itaque tranquillitatisque causa, nec non, quo nullis turbis lacepsita possessione, suo uti cuique permisum sit, usucaptionem Lex Naturæ admittit, jus-

A 3

que

f) Expressis verbis, si rem a se derelictam esse teste-tur, usucaptionis moras exspectare haud debet Occupans; sed jus plenum statim illi competit. Vid. PU-FENDORF de *Jure Nat. & Gentium*, Lib. IV. Cap. XII. §. 8.

que seque plenum in rem vi hujus comparatam, ac obligatio a rebus alienis sese abstinendi est perfecta, confert. Quid autem saluti generis nostri, magis quam immota certaque possessio rerum nostrarum, expedit? Quomodo alias inter homines commercia subsistrent? Quis cum altero contrahere, quis ab altero quidnam emere vellet? Quam graves genus humanum agitarent turbæ, si post tantum temporis intervallum, tot contractus rescindendi, tot possessiones convellen- di, esset facultas, licet Dominus rem olim dereliquerit, simul tacite eam nullius fecerit, primoque sic occupanti concesserit.

## §. 3.

Prudentia cum doceat, tacere saepe melius esse quam intempestive loqui (g); videtur sola vel derelictio

(g) GLAFÉY I. c. L. IV. C. IV. §. 219. dicit 'Da nun aber ein Stillschweigen nicht gleich eine negligenz ist, viel mehr oft mit Stillschweigen nach der regel: prudenter tacere melius est, quam intempestive loqui, ein recht viel eher als durch reden behauptet werden kan, besonders wenn man sieht, das man mit protestiren wenig ausrichten wird, und dahero bessere gelegenheit und conjuncturen abzuwarten hat; so leget sich der ungrund des Hohmannischen vorgebens (negligentiam Domini, rem sibi per longum tempus vindicandi, esse indicium derelictionis), "alsofort zu tage." §. seq. "Oft schweigt man von einer pretention

licitio vel taciturnitas satis certum consensus laudati non esse indicium; sed revera vel facta vel omissionem factorum, omnium ex mente eam significationem habentia, requiri (h), quæ libere proferre & possit & debeat, is qui tacite consentiat, necesse est (i). Exstant igitur indicia oportet, rem non temporis causa,  
ani-

deswegen stille, weilen uns der unrechtmäßiger Besitzer, auf verschiedene Art in Händen hat, und wenn wir viel Schreibens davon machen wolten, gar leicht um Verzicht eines solchen rechts nötigen könnte.

(h) Cfr. GROTIUS de *Jure Belli & Pacis* Lib. II. C. IV. §. III.

(i) "Ab eo, qui consensu obligabitur tacito, necessario requiritur, ut & possit (libere) loqui, & si dissentiens haberi velit, hunc suum dissensum significare debeat. A surdo igitur & muto, absente, necliente, metuenti, non advertente, hujusmodi consensus supponi negquit. Similiter, si consensum aut dissensum quidem suum indicare quis possit, sed non debeat; in aprico est positum, ad ejus Conlensem Tacitum provocari non posse. Ubi autem is, qui loqui ac nisi consentiat, dissensum suum manifestare & potest & deberet, tamen si let, eaque re accedere ad aliorum sententiam his merito videtur, & cum sua res, se sciente & præsente (nullaque re obstante) agitur, nil impedit, quominus illa peragatur; is tacendo consensibile, ac quasi signis negativis, consensum suum declarans, merito existimatur. Vid. Dissert. Dni VÖRLUND, de *Consensu*, Præside Celeb. H. G. PORTHAN editam, Cfr. PUFENDORF I, c. lib. III. C. VI, §. 2.

animō eam requirendi aut repetendi, desertam esse (k). Probe etiam sciat Dominus, rem in nostra esse posses-  
sione, jurisque fui haud ignarus, commodam utilem-  
que sibi ejus, per longum tempus, negligat vindica-  
tionem; quo negligentiae ac silentio suo, prout scien-  
tis & libere volentis, ea tribui queat significatio,  
quod nulla ejus rei eum amplius tangat cura, quod-  
que eam inter res suas haberī nolit. Quibus aliisque  
talibus factis omissionibusve factorum idem ac verbis  
sensus recte tribuitur; nisi forsan indiciis indubiis o-  
stendere quis valeat, aliam omnino silentii sui suisse  
causam (l).

## §. 4.

Tempus qua annos & dies definitum, ad usucap-  
tionem dignandam, Lex Naturalis statuere nequit.  
Longum autem requiri (m), quo signa sufficientia  
taci-

(k) Quali modo se rem cum eis qui naufragium evi-  
tandi, aut hostem effugiendi causa, bona sua abjici-  
unt, habere, observat GROTIUS de *Jure Belli & Pa-  
cis*. Lib. II. C. IV. §. IV.

(l) Quam ob rationem, appellatione haud idonea, hunc  
acquirendi modum vitiosum, nonnulli appellare volue-  
runt, ex. gr. NEUMANN l. c. Non quasi injuria nite-  
retur, sed quoniam a perfecto illo, vi consensus ex-  
pressi, (citra omnem usucaptionis moram) dominium  
acquirendi modo, differt.

(m) Quamyis enim tempus, quatenus tempus est, effe-

tacitæ derelictionis edantur, omnes fere voluerunt. Quæ tamen si intra minoris temporis spatium satis manifesta præstita fuerint, possessorem citius Domini sui incertitudine liberant: si autem semper deficiunt, nunquam præscriptionem accedere, necesse est (n).

## §. 5.

Neminem autem præter bonæ fidei Possessorem Lex Naturalis ad usucapiendum, idoneum declarat: non quidem, quasi fides Possessoris juri Domini quidquam detraheret; sed quod citra culpam rem occupavit, eam nullius esse, primoque igitur Occupanti cedere exi-

B sti-

ctive non influat in actiones humanas; cum tamen nihil non fiat in tempore, ad agendum temporis moræ requiruntur, non vero ut usucaponem perficiat.

(n) Ex his itaque, quid de eorum doctrina, qui immemoriale ad usucapiendum requiri tempus, contendunt, dicendum sit, facile appetit. Quos ridet LEYSER, (libro suo de *Agsentatt. J'ctorum*,) idem esse putans, usucaponem immemorialem ac nullam dicere, h. e. talem, de cuius initio memoria nihil suppetit. Quid enim attinet de modo & jure ejus acquisitionis aliquid statuere? Quam tamen, de immemoriale hoc tempore doctrinam, Dn. NEUMANN ita vult mitigare, ut intelligatur, non quidem deficere debere memoriam, rem ab alio antea fuisse possessam, sed tantummodo memoria vitii, quo laborat possesio. Vid. lib. cit. §. CDLXXVII.

(o) Ut autem usucapio locum inveniat, requiritur, ut justo quis titulo possessionem rei nactus sit, seu tali titulo, qui alias ad transferendum dominium idoneus habetur; utque ita in bona fide versetur, id est, ut & idoneam rationem posit allegare, quare rem posideat, & persuasus sit dominium fuisse in se

stimavit (o). Respectu autem malæ fidei Possessoris non ita, rem alienam vi aut fraude comparavit, quæ si jus usucapiendi tribuerent, in legis essent tutela (p), quod absolum. Dominum quia haud ignoravit, ejus de re derelicta voluntatem cognoscere debuisset, quo ille aut perfectum ei traderet jus, expressa derelictionis testificatione, aut suum sibi reservaret dominium (q).

### §. 6.

Licet autem non nisi Bonæ fidæi possessorem, usucapere posse, Lex Naturalis dicit; non tamen ille ideo, quod citra culpam rem possidet, eam alteri praescribere valet, sed quatenus Dominus signa consensus taciti eam derelinquendi, edidit. Quibus deficientibus, quidquam de facultatibus ejus derogare, injustissimum esse, supra attulimus. Rem itaque suam recuperandi jus, Domino competere, quis dubitet? Circa ipsum autem modum, respectu utriusque possessoris, par judici-

um

---

translatum, & se' dominum constitutum, PUFENDORF I. c.  
Lib. IV. C. XII. §. III.

(p) Όντε ἐν τῷ λαζήν ἐπὶ τῷ δικαίῳ πτήσασαι, αλλὰ τῷ χωρίς ἐγκλημάτων ἔχειν. LIBANIUS *Declam.* I. p. 194. (Ed. Paris.)

(q) Cum non nisi quod ipsi vere tenemus, jure ad alios transferre, nobis licet; necesse est bonæ fidei Possessorem, cum ipse vi bonæ sue fidæi usucapere possit, hoc suum jus in alium, sub conditione hujus quoque bonæ fidæi, transferre posse. Malæ autem fidei Possessor, non ita: ut enim ipse usucapere nequit, ita nec alii quatenus tali, hoc jus tradere valet. Si vero vitium quo possessione sua laborat, successorem celat, hicque bonæ fidæi Possessor evadit; hic bona fide usucapere potest. Cfr. *Instit.* Lib. II. Tit. VI. "Qui bona fide ab eo qui Dominus non erat, cum erederet eum esse, rem emeret, vel ex donatione aliave quavis justa causa accepit, is usucapit."

uni omnes haud tulerunt. Nonnullis enim (r) omnis possessionis eam esse indolem, statuere placuit, ut non solum Bonæ, sed etiam Malæ fidæi Possessor, donec major suum rem possidendi jus alius ostenderit, eam jure tenere possit. Quam tamen sententiam ex plerorumque suffragio, non admittendam, idque jus tantum modo Bonæ, minime vero Malæ fidei Possessori competere, contendere non dubitamus. Ille, cum nihil iniusti, consilio commisisse, dici possit, sed bona fide, rei vacuae, utpote derelictione nullius factæ, possessorem se constituit; æquitati omnino repugnaret, pessimeque saluti & securitati generis humani esset consultum, nisi de vitæ integritate sibi persuasus, id juris haberet, ut antequam de possessione depellatur, vitium possessionis errorque suus circa rem derelictam, ei ostendi debeat. Quod donec factum sit, rem ut suam recte possidet, eaque ut Dominus utitur. Hoc autem jus, quod *Possessionis* vocant, ad malæ fidei Possessorem, cum contraria omnino ejus respectu sit res, non pertinet: rem enim alienam vi vel fraude comparatam apud se esse, dominumque se injuria damnoque afficere, idque se quoque resarcire debere, probe sciens (quare eum, ut vitii possessionis suæ haud ignarum, ea de re convinci, opus non est), ipsam rem mox ejus facta repetitione, domino cedere debet (s).

§. 7.

(r) Ex. gr. NEUMANN l. c. §. CDLXXVI.

(s) Rei dominium illibatum, per totum illud tempus, quo possessor, Bonæ vel Malæ fidei, subsuerit potestati, ad se pertinuisse,

## §. 7.

Populi licet fibi leges constituerint, ad quas actio-  
nes suas conformandas in se suscepereunt, eaque re e  
statu Naturæ egressi sint; respectu tamen aliorum Po-  
pulorum, cum neminem agnoscant superiorem, ut  
Personæ morales, in statu a qualitatis viventes, inter  
se invicem considerandi sunt. Itaque Jura & Obli-  
gationes in Lege Naturæ præscripta, inter se invicem  
observare debent. Unde etiam, quid de usucapione  
inter homines in statu Naturæ vitam agentes, obser-  
vandum esse disputavimus, ad Civitates quoque per-  
tinere, facile sequitur. Raro tamen secundum hanc  
legem possessionis suæ justitiam defendere conantur,  
vique rem plerumque expediunt; unde fit, quod LI.  
VIUS, *Hist. Rom. Lib. XXXIV*, de Poenis & Numi-  
dis dicit: *ut semper penes eum possessio fuerit, qui plus  
armis potuisset.*

ubi a Domino fuerit demonstratum; fructus quoque ejus fibi con-  
petere, simul cum demonstrasse, per se patet. Quia de re, respectu  
utriusque Possessoris, Lectorem ad Juris Naturæ Doctores, qui de  
*Jure Dominii in genere*, tradunt, remittimus.

## Corrigenda.

Pag. 3. lin. XI ea. leg. co.

Pag. 4. lin. II, referant. leg. refulerunt.